

auferret gloriam sempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipse servasset. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miseros interdum cives, optime de republica meritos: in quibus homines non modo res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt? quæ certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere.

XXIV. Quid, quæ postea sunt in eum congesta? quæ quemvis, etiam mediocrium delictorum conscientia, perculissent, ut sustinuit? dii immortales! sustinuit? immo vero, ut contempsit ac præ nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiatorum, frenorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. Nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus; arma in villam Oericulanam devecta Tiberi: domus in clivo Capitolino scutis referta: plena omnia malleorum, ad urbis incendia comparatorum. Hæc non delata solum, sed pæne credita: nec ante repudiata sunt, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeji: sed dicam, ut sentio, iudices. Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est respublica. Quin etiam audiendus sit Popa Licinius, nescio quis, de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse, de interficiendo Cn. Pompejo conjurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompejo in hortos nuntiavit. Arcessor in primis: de amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriæque custodis tanta suspitione non metu exanimari: sed mirabar tamen, credi Popæ, ebriosorum confessionem servorum audiri, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris